

B E O D U C E

MEDITATIO S. EVANGELII  
FESTI

PHILIPPI JACOBI

Additis S. Patrum dictis, Quæstio-  
numq; aliquot decisione, ad uberio-  
rem textûs, cum o-  
pus est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M

*In Regia Aboënsi Academia,*

P R E S I D E

DN. ÆSCHILLO PETR'ÆO,

S. S. Theol. Doct. Profess. & Civitatis ejusdem Pastore:

*Examini subicit, in Auditorio Majori, horis solitis*

*Ad diem 3. Julij, Anni 1653.*

HENRICUS M. ELOSINIUS  
NTLANDUS.

*Bernhardus Hom. 3.*

Turbari bonum: Sed non perturbari; turbata est Maria, sed non perturbata, turbabor sed non perturbabor &c.

*Rupertus in hunc locum.*

Vado parare vos ipsos locis & mansionibus istis, & est levare vos à peccatis vestris in sanguine meo, ut dignè scitis introire in illas fereas mansiones in illa Cælesti Sancta Sanctorum, ut sitis regnum & Sacerdotes.

A B O Æ,

*Excusa Typis Acad. apud Viduam Petri Wald. An. 1653.*

*Nobiliss: Magnanimis, Fortissimis & Perstrenuis Viris*

**DN. CLAUDIO BGEU/** De Bröttorp &  
Haga &c. S. R. M.<sup>is</sup> Servitori fidelissimo, optimè con-  
stituto in Reginine Carel, Equitum Majori fortissimo,  
Dño, Patrono, & summo Promotori ut propensissimo,  
ita humilima mentis subiectione ætatè prosequendo

H T

**DN. JEREMIE P. ROSENKRONZ**  
Regimens *Swarteer* Nestar Maximæ strenuo, promo-  
tori suo ut indubitato ita quovis honoris & observantiæ  
Zelo æternum honorando,

N E C N O N

*Reverendis, Praclariss, Prudentiâ conspicuo, Humaniss. atq; Doctiss. Viris.*

**DN. M. JOHANNI BAHN/** Pastori in *Etenäs*  
dignissimo, Mecænati & studiorum suorum promotori, sum-  
mo observantiæ cultu indefinentè colendo.

**DN. JONÆ BOTHVIDI,** totius tractus Razeburgensis  
Legis latori solertissimo, fautori & Evergetæ suo multis no-  
minibus compellendo.

**DN. JOHANNI G. THAUONIO,** Ecclesiarum  
*Swarto & Austo* Pastori meritissimo, in idem fautori & Ever-  
getæ suo, omni honoris cultu jugiter prosequendo.

**DN. JOHANNI ARVIDI,** Verbi Divini Symmystæ  
in *Poso* impigerrimo, fautori & benefactori certissimo.

*tu p'is ut Hocce Theologicum in perpetuum in-  
fucata observantia, & grati animi reu' p'igrov  
devotè & humiliter consecrat dedicat & litat*

HENRICUS M. Elofinius Respondens.



MEDITATIO TEXTUS  
FESTI  
PHILIPPI JACOBI

In Sanctæ & Summè laudandæ TRINITATIS, PATRIS,  
FILII & SPIRITUS Sancti Nominè.

**L**ætabitur justus in Domino, Et Sperabit in eo:  
Et Laudabuntur omnes recti corde, Psal. 64: 11.

Quibus verbis Regius Psalmista commendat & celebrat conditionem justorum, quod illi Semper gaudere debeant in Domino. Quod illi confidant Deo, quod omnes deniq; pij merito inde gloriantur quod Sciant & firmitè credant Deum esse suum Dominum, qui ipsis in omni necessitate sit auxilio, sit eorum protector, sit paracletus & consolator, ut propterea non magni æstiment quascunq; in hoc mundo adversitates sustinendas. Non turbatur cor eorum, etiamsi corpus & anima deficiant, si mori contingat, animam à Corpore separari, non sient sine consolatione, adhuc adhærent Deo, nec quicquã tamen potest eos separare à dilectione Dei. De hac Dei cognitiõ de hac sua in Deũ fide gloriatur & intrepidè eũ quo Deus jubet, eunt quãvis ut Oves in medio luporũ, sunt prudẽtes sicut serpentes, sunt Simples sicut colũbæ, reputant se pro ovibus maciatiõni destinatis propter Christum, & inde etiam gloriantur Corenam Sperant immareffibilem. Ita hi duo Apostoli Christi ambo ut justii homines, justitiã Christi, & Jacobi s hoc cognomen habuit Justii in hoc mundo, in hoc sue Apostolico effi-

cio gaudium suum habuerunt in Domino, confisi sunt ei & iuste gloriati ambos. Occisi post diuturnam Evangelij de Christo prædicationem; Jacobus in Judæa Jerosolymis cum illic Episcopatum gessisset per annos triginta, tunc cum laude, ex pinnaculo Templi detrusus, est in terram, & postea inter orandum malleo fullonis caput ejus comminutum, expiravit. Philippus in Schytia circiter Viginti annos cum docuisset cruci affixus & postea lapidatus est. Amborum Sanctorum & justorum Virorum Festum hodie celebrat Ecclesia, quia uno eodemq; die prima scilz. Maij ex hac vita ad cæleste gaudium transierunt, non illos ut intercessores adorandi gratia, sed ut Deo gratias agamus pro tam fidelibus Doctoribus mundo missis, & quod Deus hodièq; nobis pios ac Synceros verbi Præcones mittat, & ut hoc Deus porrò faciat. Oremus eum ut pietatis & constantiæ Exemplum in vera religione capiamus. Ad quod etiam in Evangelio hodierno admonemur.

**O**REMUS igitur DEUM, ut hodiernum Festum ita celebrare, Evangeliumq; ita meditari queamus, ut cedat in nominis Divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinæ, & bonorum operum, in spem & fiduciam, & tandem in æternam beatitudinem: Dicamus igitur, Pater noster &c.

E. V. A. N. G. E. L. Johan. 14. v. 1.

**E**t dicit discipulis suis: Ne turbetur cor vestrum: creditis in Deum, & in me credidite. In domo Patris mei mansiones multe sunt: Quod si secus esset, dixissem vobis: Vado paraturus vobis locum. Et si abiero ad parandum vobis locum, iterum veniam & assumam vos ad me ipsum: ut ubi sum ego, & vos sitis. Et quò ego vado scitis & viam scitis. Dicit ei

*Thomas, D O M I N E, nescimus quo vadis:  
 Et quomodo viam scire? Dicit ei Jesus, Ego sum via,  
 & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem nisi  
 per me. Si cognovissetis me, & Patrem meum  
 utiq; cognovissetis: Et nunc cognovistis eum, &  
 vidistis eum. Dicit ei Philippus, Domine, ostende  
 nobis Patrem, & Sufficit nobis. Dicit Jesus, Tan-  
 to tempore vobiscum sum, & non cognovisti me? Phi-  
 lippe, qui vidit me, vidit Patrem: & quomodo tu dicis,  
 ostende nobis Patrem? Non credis, quod ego in Pa-  
 tre sum, & Pater in me? Verba quæ ego loquor vobis,  
 à me ipso non loquor: Pater autem in me manens, ipse  
 facit opera. Credite mihi, quod ego in Patre sum, & Pa-  
 ter in me manens, ipse facit opera. Credite mihi,  
 quod ego in Patre sum, & Pater in me: Alioqui, pro-  
 pter ista facta credite mihi. Amen Amen dico vo-  
 bis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faci-  
 et. Et Majora bis faciet, quia ego ad Patrem vado.  
 Et quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam.*

**D**iscipulos suos Christus in hoc Evangelio alloqui-  
 tur, prohibens eos dolere, & Mæstitiâ detorquere:  
 Jubet eos in Deum & in se filium Dei credere, & co-  
 gitare de mansionibus in domo Patris sui, quod illa  
 multa sunt, & quod Christus suâ morte paraturus sit lo-  
 cum eis in illis. Dicit se quoq; rediturum & assumptu-  
 rum eos ad se, asserit etiam quod non dubitent, quin  
 viam sciant per quam iturus sit ad parandum eis locum

in illis Cælestibus mansionibus Patris. Cum vero de his loquitur Christus, respondit Thomas dicens se & alios nescire utrumq; & quo Christus iret, & viam quoq;. Cui Christus respondet: Quod Christus sit ipsemet via, veritatis & vita, quod nemo veniat ad Patrem nisi per eum. Et si cognovissent Christum, etiam cognituri essent Patrem. Acquiescete & scilicet Thomas, petiit Philippus sibi & reliquis monstrari Patrem. Ad eius petitionem Christus respondit primò arguendo Philippum, quod cum tanto tempore versatus esset in Schola sua, & non dum recte cognoscat Christum & non credat viso Christo videri Patrem Christi, hoc enim verum esse probat Christus dicendo verba sua quæ loquitur cū ipsis, nō solū sua sed etiā Patris sui. Hortatur ut credat in se, ut credat se esse in Patre & patrem in se, & quidē propter opera quæ facit, quod si crediderint in se, pollicetur eis hanc virtutem, ut non solum talia faciant sed etiam majora, quam virtute, n illis impetrabit abitu suo ad Patrem. Confirmatur in hoc Evangelio Articulus Secundus, de Christi Divinitate, quod sit Dei patris filius, sit cum eo ejusdem Essentiæ & naturæ. Confirmatur etiam Articulus Tertius de vita aeterna quæ erit in mansionibus in domo patris Christi. Excitatur ad Orandum, libera nos à malo, da felicem ex hac vita exitum, da perenne gaudium.

P A R T E S,

1. Quomodo Christus omnes discipulos suos alloquitur eosq; consolatur, prohibendo mæstitiam, & jubet bono esse animo.
2. Quomodo Thomæ & Philippi dubijs satisfacit ad illa respondendo.

Atq; hæc sunt istæ Partes, quas hæc vice breviter & simpliciter tractare constituimus: *Omnipotens & æternus Deus, Pater noster celestis dilectissimus, nobis omnibus benedicat, cunctaq; utiliter & fructuose cedere faciat.*

## P A R S P R I M A.

In quâ meditamur:

### I. Occasionem prohibitionum

Mæroris, & præcepti de retumendo animo. Scribit S. Johannes in præcedenti capite Petrum discipulum Christi interrogasse suum Magistrum Christum de abitu, quo abiturus esset: Cui Christus respondet, quo ego vado tu non potes me nunc sequi, post verò sequeris me. Cumq; Petrus diceret: Domine quare non possum sequi? Ponam animam meam pro te, dixit Christus, tunc animam tuam pro me ponis? Amen amen dico, priusquam gallus cecinerit ter me abnegabis. Hic tristitia magis quam antea invasit discipulos cogitantes quod si Petro hoc contingat, si ille intantum adducetur discrimen ut non auderet confiteri Christum quid de nobis fiat? Cum itaq; ita tristes essent prædicatione abitus Christi & lapsus Petri, Christus omnes suaviter alloquitur prohibens eos amplius ob hoc tristes esse.

L. C. Oblata undiquaq; occasione auditores tristes consolandi minimè negligenda, sed arripiendo, siquidem ipsa Scriptura, quam omnes pij & Sinceri Ecclesiæ, Doctores profitentur ad consolandum utilis, ut per illam spem habeamus Rom. 15. Quod etiam innuitur 2. Tim. 3. 16: 17. In quo habemus Christi Exemplum, qui postquam intellexit discipulos mæstos

& tristes ex prædicatione sui abitus, nec non eorum præfertim Petri defectiōis & lapsus, mox incipit eos consolari & recreare. Hoc etiam vult Deus apud Prophetam Esa. 40. 1. Dum inquit: Consolamini populum meum. Verum sic etiam non negligenda legis concio, utrumq; verbum Dei, & lex & Evangelium.

## II. Modum Consolationis.

Hunc indicat S. <sup>Johannes.</sup> ~~Lucas~~ dicens Christum sic loquutum, Non turbetur cor vestrum neq; formidet. In his verbis continetur prohibitio Doloris & tristitiæ, ne inquit Christus turbetur cor vestrum neq; formidet. Indicat Christus cor eorum valde inquietum fuisse & formidolosum, ut nullibi eis fuerit pax & tranquillitas in animo & corde. Omnia turbata & malè disposita videbantur.

L. C. Christus prohibet cor nostrum turbari & formidare, itaq; formido & timor mittendus est. Meminerimus in tribulationibus nostris cū angoribus opprimimur Christi prohibitionem: Ne turbetur cor vestrum neq; formidet. Diabolus autem ille est Spiritus tristitiæ qui nos contristat & Sollicitos frustra facit. Huic non parendum, sed Christo qui prohibet mæstos esse & tristes, dicens: Non turbetur cor vestrum neq; formidet. Christus jubet esse bono animo & hoc esse suum officium docet Christus. Cum enim in Synagoga Nazaretana Sabbato concionari vellet, & datus ei esset liber Esaiæ in quo Christo obvenit illud Esaiæ, 61. 1. Spiritus Domini super me, eo quod unxit me: Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, dimittere contractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, cum  
plicuiss



plicuisset librum reddidit eum ministro, & sedit capitiq;  
dicere ad illos quia hodie impleta est hæc Prophetia in  
auribus vestris, & omnes testimonium illi dabant: Et  
mirabantur in verbis & omnes testimonium illi dabant:  
Et mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de o-  
re ipsius Luc. 4. 12. Prout etiam Christus laborantes &  
oneratos ad se invitat & eos se refocillaturum promittit,  
promittit etiam jugum futurum bonum & onus leve  
Matth. 11.

**III. Formidinis & doloris pel-  
lendi medium.** Hoc Monstrat Christus, jubens  
eos credere in Deum & se. Si creditis inquit in Deū  
& in me credite. Mox subjungit rationem quare in  
Patrem & filium credendum sit. In domo patris mei  
inquit mansiones multæ sunt. Si quo minus, dixissem  
quia vado parare vobis locum. Etsi abiero & præpa-  
ravero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad  
me ipsum, ut, ubi sum ego & vos sitis, & quo vado  
scitis & viam scitis. Quibus verbis Christus docet &  
ostendit fidem in Deum & in Christum esse optimum  
medium pellendi omnem timorem & perturbationem,  
nec ullum aliud efficacius. Ideoq; Christus cum in na-  
vi esset in magna tempestate & discipuli valdè turbaren-  
tur infudentibus se in navim vastis undis, illiq; clama-  
rent; Domine salva nos, perimus, exitatus suo somno  
arguit eos ob diffidentiam, dicens o modica fide prædi-  
ti. Et mox ventum sedavit & composuit fluctus, & tran-  
quillitas mox facta magna Matth. 8. Similiter & Petrum  
alloquitur cum ambularet super aquam ut veniret ad se  
etiam ambulantem super aquam, videretq; ventum va-  
lidum & timeret, ac cum capisset mergi, clamaretq; di-  
cens:

eens: Domine saluum me fac; Jesus extendens manum apprehendit eum, dicens modicæ fidei quare dubitasti. L. C. Quam sit fides necessaria in Deū & Christū, necessaria ad vincendum omnes tribulationes, & tentationes manifestum est inde quod Christus dicit in hoc Evangelio Creditis in Deum, & in me credite, & ex alijs historijs quas jam allegauimus. *Fides enim non est cuiusq; sed est donum Dei ex auditu verbi Dei Rom. 10. Cum primis itaq; necessarium operam dare ne illa in nobis deficiat vel extingvatur. Orandus Deus: Adauge nobis fidem, lucem fidei ne patiaris in nobis extingvi. Medijs fidem conferendi & sustentandi crebrotendum: Orandam ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Qui fide donati sunt illis non timent Psal. 112. v. 6. 7. 8. 9. 10. Psal. 27. v. 1. 2. 3.*

#### IV. Quare Christus iusserit

discipulos ejusmodi adhibere medium ad pellen- dum suum dolorem, vidz. ut crederent in Deum & & Christum. Hoc indicat S. Johannes dicens Christū sic dixisse.

1, In Domo Patris mei inquit mansiones multæ sunt: Si quo minus, dixissem vobis. Quia vado parare vobis locum iterum venio & accipiam vos ad me ipsum, ut, ubi ego sum, & vos sitis. Et quo ego vado scitis, & viam scitis. Horum Christi verborum hic est sensus. A Deo Patre meo caeleste hoc habebitis, ut pateant vobis domus ejus, & plures in domo ejus mansiones. In domo Patris mei inquit mansiones multæ sunt. In hoc mundo mansiones etiam sunt, hic etiam

etiam domus Patris mei, hic Deus ipse habitat inter vos etiam in vobis qui sermonem meum servatis. Si quis diligit me, sermonem meum servavit, mortem non videbit in æternum. Pater meus diligit ipsum, & ad eum venimus, & mansionem apud eum faciemus. Verum hæc habitatio Dei apud nos ea nobis non est tam conspicua, tam manifesta, nam hic in ænigmate omnia videmus tanquam in speculo, tanquam adhuc pueri, verum illuc cessabunt omnia puerilia, omnia perfecta erunt, videbimus omnia uti sunt. Quod attinet mansionem in Domo Patris ejus multitudinem, notandum quid nam sit domus & mansiones multæ, hoc est non dubitandum quin locus inveniatur omnibus pijs, ubi omnes commodè habitent sine molestia & angustia. Ut si quis dicat: Tot millia hominum ubi quæso habitabunt? Respondet Christus, erit locus, multæ sunt mansiones in domo Patris mei, omnibus communis cælestis sane erit locus, & quidem commodus. Itaque unitas domus & mansionum multitudo hoc saltem ostendit. In hac Christi concione, quod regni Cælestis suavitas & capacitas tanta sit, ut omnibus sufficiat Potest enim per mansionum multitudinem & diversitatem intelligi gloriæ aliqua differentia in ista domo. De quâ tamen differentia & gradibus in hoc mundo judicare non est facilè. Hoc sufficit quod erit eadem domus cænx cælestis omnibus, & in illa satis loci atque capacitatis, qualis futurâ præterea differentia non satis nobis manifestum est, nec operosè inquiremus sed expectemus majorem lucem, & non dubitemus nos habituros cum illuxerit semel illa beata dies, quæ omnia mundana & transitoria finiet. Quia itaque hæc domus & hæc mansiones sunt Patris cælestis, utique ab illo petendum,

ut ille nos recipiat in hanc domum in has mansiones.

2. Deinde quia nemo huc recipitur, nemini licet hanc domum ingredi in has mansiones venire nisi per Christum, non enim licet venire ad patrem nisi per filium, utiq; etiam in Christum credendum. Propterea dicit Christus creditis vel credite in Deum, & in me credite, nolite cogitare aliam esse viam aliud medium perveniendi in has mansiones quam per me, per meum ad Patrem abitum, nisi ego paravero vobis locum, hoc est fecero copiam, intromisero vos per meum abitum, meus abitus ad Patrem sit vobis aditus in has mansiones, Non recipiemini.

3. Quia iterum venio inquit Christus & accipio vos ad me ut ubi sum ego, & vos sitis. Hoc est, Ego in hanc domum Patris vos intromittam in has mansiones introducarn, accipiam vos ad me, ut ubi sum ego, & vos sitis. Hic Christi adventus ad discipulos & assumptio intelligenda de resurrectione, quando Christus rediturus vivus ad discipulos eosq; suâ presentia consolaturus, tum etiam de reditu ad extremum iudicium si ve ad restaurationem omnium ut ejus discipuli essent cum Christo, ut ibi esset ubi Christus in Cœlesti & visibili cum Christo conversatione quæ futura est post hanc vitam, in hac enim vita non est futura talis cum Christo visibilis mansio.

L. C. 1. Rectè credimus in Deum Patrem omnipotentem creatorem Cœli & Terræ visibilium omnium

mnium & invisibilem. Et in unum Dominum Jesum Christum. Ubi S. Sanctus minimè excluditur quippe qui nobis cognitionem dat utriusq; Patris & filij. Sine enim Spiritu Sancti auxilio, nequaquam ad Patrem & filium pervenire possumus.

L. C. 2. In Christum rectè credimus, quamvis enim Pater Cælestis nobis paraverit domum & satis capax, abundantem etiam omnibus bonis tamen in illam nemo nos introducit nisi solus filius Dei cui Data est potestas in Cælo & in terra, cui datæ sunt claves David, qui aperit & nemo claudit, qui claudit & nemo aperit, qui potest dicere venite benedicti Patris mei qui etiam potest dicere discedite à me Matth. 25. Quam itaq; necessarium in hoc mundo Christum diligere imò ut Apostolus ait, superat omnem intellectum. Si Christum bene scis, satis est si cætera nescis, Si Christum nescis, nihil est si cætera discis,

L. C. 3. Christus habebit curam quomodo in cælestes mansiones intromittamur, Nos saltem ipsi ut fidelissimo Pastori animam nostram commendemus sicut Latro in cruce dixit Memento mei cum veneris in regnum tuum. Et Christus nobis respondebit non tã verbis quam ipso facto. Hodie mecum eris in Paradiso.

## SECUNDA PARS.

**H**abuimus in prima parte Historiam, quomodo Christus consolatur suos discipulos; In hac altera parte videndum quomodo quorundam discipulorum *Quæstioni* respondet.

In quâ meditamur:

## I. Quæstionis & responsionis

Occasionem, Hanc indicat S. <sup>Johannes</sup> Lucas dicens, Christum inter alia etiam hoc addidisse: Et quo vado, scitis, & viam scitis. Innuens his verbis duo: Prius hoc est, quod sciant quo vadat, videlicet ad Patrem, ut faciat illud quod Pater decrevit fieri, non vanum ali-quod opus, sed à Deo decretum toti generi humano salutare & utile vidz. ad redimendum genus humanum à potestate Satanæ, inferno & æterna damnatione. Quod sciant etiam viam quâ abeat Christus videlicet. Quod hæc redemptio fiat per ejus Passionem & mortem. Ex hoc sermone antea uberius proposito, nunc autem brevius apud discipulos quosdam quærentes, occasio datur; Ut Thomas dixit: Nescimus quo vadis? Et Philippus dicit; Ostende nobis Patrem.

L. C. Tædiosum officium est docere & informare segnes & trãdiusculos auditores. Quandoquidem tam sæpe eadem tradenda & proponenda, & quando ad examen peruentum fuerit, sunt discipuli adhuc hebetes, ignorantes, sicut hi Christi discipuli, jam per triennium totum & amplius, hoc sæpè quidem audierunt, Christum iterum ad Patrem, iuxta Patris decretum redempturum genus humanum, & quidem non auro & argento sed proprio suo sanguine; Et tamen cum hæc iterum inculcarentur, quærunť quasi de rebus nunquam auditis & traditis. Est proinde docti docendi munus in Scholis & Ecclesia arduum, tædiosum & difficile, ac propterea auditorum favore, amicitis & benevolentia compensandum. Quæ informatur

verbo, inquit Apostolus, communiēt omnia bona eī  
qui se informat. Opera danda ut tādium illud minua  
tur priorum benevolentiam; Qua ratione Paulus  
commendat suos Galatas, quod Promptissimi fuerint  
ad favendum ei, Gal. 4. 14. 15.

## II. Christi ad quæstionem

Thomæ & Philippi, responsionem. Quæstio  
Thomæ erat: Domine quomodo possumus viam sci  
re, & quo vadis? Huic respondet Christus: Ego sum  
via, veritas & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me;  
nemo venit in domum Patris, in mansiones divinas  
Patris mei, nisi per meum abitum ad Patrem, per meam  
passionem & mortem. Si cognoviscetis me, utiq;  
patrem meum cognoviscetis, & jam cognoscitis eum,  
& vidistis eum. Philippi Quæstio est: Domine qua  
lis est & quis est Pater tuus. Domine ostende nobis Pa  
trem & sufficit nobis. Huic Christus respondet dicē  
do Patrem & se non differre, quo ad Essentiam, sed &  
Patrem habere unam eandem Essentiam, Patrem esse  
in filio; filium in patre, filium loqui non ex seipso sed  
ex patre, opera fieri æquæ à patre, atq; à filio, fore etiam  
ut credentes in Deum atq; Christum majora tuis factu  
r. opera, id quod etiam in Apostolis post Christi resur  
rectionem & ascensionem in cælum claruit.

L. C. Quæ responsio Christi ejusmodi est, ut remit  
tantur discipuli & nos omnes in superiorem Scholam  
Cælestem, vidz: de qua Apostolus loquitur 1. Cor. 13.  
v. 9: 10: 11: 1. 12. 13. In hac Schola terrena abstrusio  
ra nō pergamus indagare, verbo revelato fidē habentes.

*Clementissime Deus Pater cælestis, agimus tibi toto pectore  
gratias, quod miseris nobis filium tuum ad parandum nobis  
locum*

locum in Cælestibus mansionibus quæ in domo tua multe sunt. Da nobis illam gratiam ut constanter adhareamus filio tuo, & te per illum glorificemus. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, filium tuum dilectum, qui tecum & cum S. Spiritu vivit & regnat in æternum.

Benedictio, & Claritas & Sapientia, & Gratarum actio, & Honor, & Virtus, & Fortitudo, DEO nostro, in secula seculorum, Amen. Apoc: 7<sup>o</sup> 12<sup>o</sup>

## QUESTIONES.

I.

**D**E qua turbatione loquitur Christus? Resp. Cyrillus Lib. 9, Cap. 29. Turbatus existimat fuisse discipulos, ob præductionem Christi abnegatione petri, ut qui cogitarunt tanto Apostolo Succumbente, minores, se vix evasuros. In eadem versantur opinione Chrysostimus hom. 22. Et Theophylactus. Multa autem prædixerat salvator, non perturbationem animis discipulorum afferre poterant; prodicionem Judæ, Abnegationem petri, tentationem omnium discipulorum quos expetierit Satanas tritici instar cribrare, discessum suum imminens periculum, & plura alia quæ leguntur Math. 26. & Luc. 22.

2. *Quæ ratio connectionis in verbis Christi, creditis in Deum & in me credite?* Resp. Propositioni subjicitur ratio, cur non sit trepidandum vidz. propter fidem in Deum patrem, & in se filium fides divinitatis meæ instar clypei Scutiq; vobis sit, nemini unquam trepidetis: Quia omnipotens ego eripiam vos è periculis: Deus ipse mortem suscepit Superabor nec moriar nisi carne visibili: Ne discedam à vobis, nisi carne visibili.

